...buth Wiśniowiecki.

Bieżanowski Stanisł. Jos. Septizonium

triumphale

SEPTIZONIVM
TRIVMPHALE,

ad Augustam Inaugurationem,

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS,

MICHAELIS KORYBVTH

Dei Gratiâ

REGIS POLONIÆ,

Magni Ducis Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Kiiouiæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Czerniechouiæq; &c.

DNI DNI CLEMENTISSIMI:

Inter maximos publicorum operum apparatus, communemq; Orbis Sarmatici lætitiam, auspicatissimi ominis, & immortalis gloriæ, ergò:

A

M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI Leopol: in Alma Vniuersitate Cracouiensi Philosophiæ Doctore, Collega Minore, Ordinario Poëseos Professore:

opere literato

ERECTVM.

Anno restauratæ salutis, M.DC.LXIX. Die 29. Septemb.

CRACOVIÆ,

In Officina Typogr: Stanislai Piotrkowczyk, S. R. M. Typogr.

In Gentilitium Insigne
ILLVSTRISSIMÆ DOMVS GEMBICIANÆ.



Sudorem Patriæ, toties detergere nata,
Incipe iam nexus, candida VITTA novos.
Expectata diu patrij solatia sceptri,
Iam niveo veniunt, excipienda sinu:
Inclytus augusto KORYBVTHI sanguine Princeps,
Dum Lechici prensat, Regia sceptra throni.
Hoc Tu delicium patriæ servabis; & orbe
Vinciri facies, aurea sæcla Tuo.

Illustrissimo & Reuerendissimo Domino,

D. JOANNI

DE GEMBICE

GEMBICKI

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,

EPISCOPO PLOCENSI,

Domino & Patrono Amplissimo.

AVgusta corona Sarmaticæ felicitas, in triumphale opus; non tam panegyrico scribentis apparatu; quàm domestica KORYBVTHEI *Sanguinis & Sceptri Maiestate assurgens;* Tuo *à me Celsissimo nomini consignata, & grauissimo judicio subiecta, in orbis faciem prodit,* Illustrissime & Reuerendiss: Domine. *Et oportuerat quidem, in eo primùm conspectu, comparere illam, lucisq; publicæ experimentum præuenire; cui augustum illud Majestatis Regiæ fulgur, capacissimo intuitu ferre, iam propè in naturam transÿt; vt nisi hîc, operum maiestatis, exactissimi iudicij libella sit; nullibi eam ad punctum suum venisse oporteat. Animum hîc* Tuum Præsul Illustrissime, *magnum illum & excelsum, atque tot Reipublicæ muneribus perfunctum intelligo; apud quem de Regum gloria, felicitate, magnitudine agere: prærogatiuas & elogia Maiestatis, domi suæ collocare est. Circumfudit* Te, *iam inde à primo illo, magni pectoris tui instituto: quo* Te *vsui publico, totum impendere decreueras: ea Principum Sarmatiæ lux, ea seculi illius & sceptri Maiestas: ad quam tersissima mentis* Tuæ *pupilla, cùm minimè titubasset; solenne illi deinceps, & perpetuum fuit: cor & pupillã Maiestatis Regiæ, tam è propinquo, & tam constanti intuitu contemplari; ceu splendor ille, qui multos perstringit; in animum* Tuum *placidissimè illapsus, natiuã in eo lucis publicæ sedem inuenisset. Quidni verò domi eam, intra* GEMBICIANI *sanguinis claritudinem formare,*

& à summis Viris deriuare licuerit? ex quibus nemo, intrà gentilitiã Fasciam Tuam *eminuit; in quo Regum & Reipubl: maiestas, in eã se non explicuerit lucem; cui parem in ijs, apud quos Patriæ decus, ceu in fonte suo residet, quærere velle, multarũ ætatum labor est. Admirandum id, & ipsâ illâ gloriæ suæ celsitudine maius, in illo Regum delicio, Senatûs Principe, patriæ corculo,* LAVRENTIO GEMBICKI, Archiepiscopo Gnesnensi, & Primate Regni; *in quo, præter zelantissimum illud, pro Deo & Patria pectus; præter incõparabilem animi prudentiam, magnitudinem, elegantiã, humanitatẽ; ipsa etiã eloquentia, cultissimo ore locuta; eam principatûs sui purpuram, inter Sarmatas induit; quam iteratò sumere, maximis quibusq; ingenijs, nõ alias facilè licebit. Mirùm sanè, quantùm in hoc nomine,* Gembicianæ *virtuti & gloriæ delatum sit; quantùm ad exempla omnis ætatis profecerit; quanta cum dignitate, locum illũ impleuerit; ex quo coronæ, in augusta Regum capita veniunt. eâ tandem felicitate; vt cùm in triũphale* LAVRENTII *nomen, quicquid in Polonia summũ habuit, virtus & gloria congessisset; ceu parùm in tanti nominis corona egisset; in tribus deinceps* Gembicianis Tiaris, *honores cœptos continuauit. Inuenit enimuerò parem, tam exquisitis honorib⁹ animi celsitudinem, in magno illo Præsule,* PETRO GEMBICKI, *Episcopo Crac: Duce Seueriæ, Fratre* Tuo *desideratissimo; quem cùm per summa omnia, ad Pontificiũ, & Senatoriũ culmen duxisset; absoluit in eo, omnia illa decora; quæ Legatum ad Summos Europæ Principes, quæ os, & animam Regni; quæ Pontificũ gemmã, quæ in summis necessitatibus Reipub: Parentem, & zelatorem amantissimũ, ad amussim impleuisse;* Gembicianæ *claritudinis intererat. quæ & in* ANDREA GEMBICKI, Episc: Luceoriensi, *Fratre itidem* Tuo *desideratissimo, tanta eluxit; quantã in eo, & Vaticana Sedes, & judicium Patriæ, & Regius vbiq; fauor, ornamentis publicis prosecutus est. Sed jam hæc ad immortalitatis iura transiêre; conditione mortali vel ideò erepta; quod sufficiat ætati nostræ, vel in* Te *solo, eam* Gembicianæ *virtutis Ideam venerari; quæ in cõpendio laudum* Tuarum, *excellentiã omnem suã absoluit. Animorum quippe vultus ille, venerabilis, & ex conscientia meritorum, immortale quiddam spirans; quem in Magnis Antecessoribus* Tuis, *intueri licuit; ne totus omninò transijsse à nobis videretur; omnia lineamenta sua, in* Te *reliquit. & eo quidẽ, summi judicij, & consilij spiritu animata; vt*

quæ re-

quæ responsa olim, tot sapientissimorum pectorũ fuerant; nunc oracula Tua sint. Instructissimum ijs pectus Tuum, cùm ob innatã excellentis ingenij vim, elegantioris literaturæ apparatũ, Tullianæ eloquẽtiæ gratiam, reconditioris prudentiæ arcanum; tum ob diuturnã, ex continuo magnarum rerũ vsu experientiã; probatam in negotijs publicis dexteritatẽ, intimam cum summis viris coniunctionẽ; & quod rei caput est, ob perpetuã, Serenissimis Poloniæ Regibus, pro bono publico impensam operam: quæ Te Senatorem Patriæ fecit, antiquitate meritorũ, integritate animi, consilij grauitate, sanè quàm amplissimum. Quantum enim, Præsulem, & Senatorẽ censeri Te, & quàm præcellentibus meritis abũdare oportet? in quo SIGISMVNDI III, VLADISLAI IV, IOANNIS CASIMIRI, Serenissimorum Poloniæ Regum, tot augusta nomina cõuenêre: quorũ in Te, Regiæ beneuolentiæ signa, honorificis judicijs contestata, illud omninò arguunt; solidissimam Tibi virtutẽ semper fuisse; quæ tot Sarmatiæ Principum, tam constantem affectum; & tam insignem gratiam, honoribus publicis consignatam meruit. Egit hoc nimirùm magnus ille inprimis, antiquæ pietatis, & integritatis Polonæ, candor Tuus; amor Ecclesiæ, obseruantia Regum, boni publici studium; vt eo in repub: loco emineres; quem summis viris magnitudo sua vindicat; atq; vt in ea luce, Senatorij Ordinis exemplar illud exhibeas; quod in Gembiciana Domo, accuratissimum omnium, & perpetuum sit. Habebit in eo ætas omnis; quod à se rigidiùs exigat; vt, quod veneratione prosequitur, imitatione absoluat. prout id, præclàris in animo suo vestigijs, expressisse cernimus; Illustrem & Magnificum D. ANDREAM COMITEM in Labiszyn GEMBICKI, Præfectum Tygenhoffensem, S. R. M. Aulicum Cubicularium, Nepotem ex Fratre Tuum; qui veram quoque in se, Illustrissimi olim Parentis sui, CHRISTOPHORI GEMBICKI, virtutum omnium ideam; à tribus Poloniæ Regibus, sub Dapiferi primùm, mox Dapiferi, ac Incisoris Regni, demùm Castellani Gnesnensis amplitudine decoratam; honorificâ nuper Legatione, ad Augustissimum Romanorum Imperatorem LEOPOLDVM, à Serenissimo Rege Nostro, summa cum laude perfunctus; insigni experimento comprobauit. Tantùm scilicet refert, magna aliqua exempla, in Illustribus Familijs inclaruisse: quæ generosas vtiq; mentes stimulant; vt excelsis adsimilia cogitationibus aspirent. Quod cum Tibi GEMBICIANA Domus PRAESVL IL-

LVSTRISSIME *debeat; quidni eo nomine publicæ* Tibi *gratiæ agendæ sint? quod* Gembicijs Tuis, *facem virtutum & gloriæ clarissimam accenderis. Et hoc profectò, amabile illud iubar est; adquod Triumphale* Septizonij KORYBVTHEI *opus, sistere primùm volui: nè Augusta moles, in eam subitò lucem emergeret; quæ Dædaleis etiā mentibus, & exasciatis omninò ingenijs formidini est. Quod si, in obsequio maiestatis, quantumcunq; conata opera hæc; illos obtutus* Tuos *humanissimos, quorum inuitamento ducitur, retulerit; tum demùm illam, eâ animari fiduciâ patiar; vt ad augustas* Sereniss: Regis *manus venire, & inter triūphalia auspicatissimæ Inaugurationis eius opera, consistere audeat. Comparebit iam illa, patrocinio* Tuo *securior, in eius Maiestatis conspectu; cuius immortali gloriæ assurrexit; quantumq; illi ad magnificentiā operis, ex arte defuit; tantum in publica lætitia effusus, Academiæ Iagelloniæ affectus succurret; quæ vt* Serenissimo Regi, *& ipso Iagellonio nomine, & antiquißimis in hac Republica meritis, cordi sit; consuetus in eam* Illustrissimæ & Reuerendiss: Celsitud: Tuæ *affectus, & fauor efficiet. Mihi certè, in hoc publico orbis Sarmatici solatio, illud etiā in partem felicitatis venit; quod vt olim, ad Regiam* Serenissimi IOANNIS CASIMIRI *Inaugurationem, teneriori operâ meâ,* Illustrissimo Nomini Tuo *consecrata, beneficentiā in me* Gembicianam, *publicis honoribus prosecutus sum; nunc etiam, post vicesimum annum, occasio id agendi, planè augusta mihi oblata sit; ceu perpetuus Musarum mearum, intra hoc laureatum* FASCIÆ *vinculum receptus, & orbis quidam sit, nec alio, Coronationis opera, insigniri emblemate postulent; vel ideò, quòd ab antiquissimo æuo, Fascia Regum semper diadema, & insigne fuerit. Altissimam proinde cœlorum Maiestatem, solēnibus ob id gratijs veneratus;* Illustrissimam & Reuerendiss: Celsitud: Tuam, *bono publico hactenùs seruatam; diù eidem florere, Principiq; Nostro carissimam fieri opto; vt Iagellonico affectu* KORYBVTHEI, Gembicianæ *semper amantes Fasciæ sint Fasces.*

Illustrissimæ & Reuerendiss: Celsitud: Tuæ,

Cliens deditissimus

M. STANISLAVS IOSEPHVS BIEZANOWSKI,
Philos: Doctor, Collega Minor,
Ord: Pöëseos Professor.

SEPTIZONII TRIVMPHALIS,

ex rediuiua Piaſtei Sceptri felicitate,

Columnarum in baſi,

SERIES PRIMA.

Nouum ad imaginē vetuſtiſsimi ſeculi opus,
novus Poloniæ genius, affectu pro ingenio formās;
omnia retrò ſecula, ad ſimiles Heroicos auſus,
non prouocat tantùm, ſed vrget.
Aſſurgit quidem, exemplorum priſci æui ſenio;
ita tamen;
vt ſibi quoque, maior è longinquò reuerentia, aliquando aſſurgat;
cùm inuſitata priſci moris veſtigia, iterùm fecerit non noua.
Ad ſtuporem hunc, exempli rariſsimi,
cùm humana omnia ſileant, ſiſtantque;
ſola publicæ lætitiæ, irrequieta vis eſt;
cui in immenſis conatibus ſuis, communi veniâ, vel ideò facilè parcitur;
quod rem omnium agat.
Nempè & hæc quoque voluptas eſt;
ſinere laborem publicum, ea moliri pro omnibus;
quorum onera, dum gaudio feruet, non ſentit.
Ad auguſtam certè molem,
delicio Principum, Principi ſuo erigendam;
tot habet Polonia manus;
quot corda ad eligendum contulit;
certatura facilè cum omni æuo;
poſtquam difficillimum, à tot ſeculis, prodigioſi calculi,
certamen abſoluit.
Quidni verò, Septizonium illi triumphale cogitet?
in quo, dum ex felicitatis ſuæ perfectò numero triumphat;
poſt ſeptem à ſuſcepta Chriſtiana fide ſecula,
nouam ſeculorum hebdomaden ingreſſa;
redit iterum ad opus ſuum; quod antè in Piaſteo ſanguine patrarat.
Numerum hunc profectò,

ex im-

ex impari parique perfectum coaluisse oportuit;
vt imparibus Polonia votis, in parem subitò consensum desinens;
vnum, quod ad perfectam felicitatem suam restabat,
diuinitùs componeret.

Clauditur hoc numero vniuersum;
in quo Poloniæ sufficit;
Septimam admirandæ Electionis hebdomaden, sic complêsse;
vt nihil vnquam perfectiùs,
vno simul, vniuersa in campo egerit.
Sub hac structuræ arcana serie,
elaboratam diuino septenario molem,
altiùs à terra tollimus;
vt cœlotenus porrecta, argumento sit;
Principem cui surgit, è cœlo venisse.
Celsitudini tantæ basis solidissima;
rediuiua PIASTEI Sceptri felicitas;
in qua, fundamentorum liberi Regni, profundissimus iam olim iactus;
nunc etiam tantò altiùs descendit;
quantò liberæ vocis suffragia confirmauit validiùs.
Hoc demùm in PIASTVM suum consensu,
Atlantes Poloni, lacertorum suorum sensêre vim;
non aliàs machinâ hâc nutante periculosiùs;
cui tot simul brachia supponi oportuit.
Sed vnum hoc experimentum, cæteris illustrius;
probauit Athletas libertatis, fecitque;
dùm in orbis theatrum deductos; diù certare voluit;
vt vincerent in puncto:
cùmque iam lassos credidisses, fortiùs pedem fixêre;
non perituro ad omnem posteritatem vestigio;
ceu illud, non humano nisu, in petra cauassent.
Super hac basi, rupeque,
Primas Septizonij triumphalis columnas ponimus;
quarum in capite PIASTVS;
rude marmor; vileque, orbis tamen pretia vincens;
informi Crusuiciæ metallo, nomina fecit.
Nutritor hic Poloniæ, gestatorque futurus;
expansos ad beneficentiam sinus, primùm exercuit;
vt patriam nutriret, gestaretque delicatiùs.
Induruere illi manus ab opere, à tiliæ cortice pedes;
pectus tamen à medulla bonitatis liquescens;

& ab

& ab obſequio hoſpitalitatis tractabile factum;
excepit Patriam, tàm leniter; quàm ſi ad vbera recepiſſet.
Molliſsima quippe animorum culcitra, hoſpitalitas;
ex admirando beneficentiæ in alios privilegio,
hoc habet;
vt intractabiles etiam ſopiat; demulceat irritatos.
Huc & mellificij cura, non ſine arcano;
ad mulſæ aquæ propinationem, eos etiam habere promerita;
quorum ſitis, beatæ voluptatis torrens;
& inebriatio ab vbertate domûs DEI eſt.
Felicitas inde Piaſtea, ſecuritas publica;
fauus vbique, aculeus nuſpiam;
in Zemovito Filio Clementia;
in Leſco Nepote Pax;
in Zemomiſlo Pronepote, nouæ lucis diluculum;
tota in Miecyſlao Abnepote lux:
qui vt inter Septizonij triumphalis columnas,
ſtaret illuſtrior;
ſeptenni luce carere debuit.
Vmbra hæc, magni deinceps boni Cortina,
PIASTEAE felicitatis grande ſecretum,
non ante Solem Chriſtianæ fidei reuelauit;
quàm in ſolio Princeps conſediſſet;
qui diu abſque Patris ſolatio, vt prodigioſus Pater fieret,
ex vxoris Dambrovcæ fide, maritus genitus eſt;
antequàm Reges & Regnum, CHRISTO genuiſſet.
Pro Regno Euangelij, medios euaginari enſes ſtatuens;
Boleslaum Chrobri Filium,
Regem, & Sarmaticum Herculem, habere meruit;
qui à columnis, quas poſuit victor,
ad coronam vſq; regiam, ab OTTHONE Tertio Imperatore oblatam,
cùm primus decurrit;
diadema Polonum, PIASTEæ feliciatis poſuit in cenſu.
Coronatæ iam hinc, in ſeptizonio noſtro columnæ;
in CASIMIRO I. etiam diuinæ ſunt;
quem ſacris initiatum,
Religioſa Cluniaci Corona, vel ideò cinxit;
vt Regem ſacrum faceret.
Summam in eo, innocentis animi pacem,
ex Rixa Matre potuiſſe naſci, ſtupor!

Maior tamen; ex ſacro Principe, cum ſacris rixatam,
Boleſlai Filij audaciam prodijſſe.
Coronam hic & mentem,
poſt victorias, in ſacri Præſulis victimam furens,
cùm audax nimiùm amiſiſſet;
mentem Polonia ſuam, in Vladislai Hermanni, optima mente;
coronas & triumphos,
in Boleslao Kriuouſto, immortales recepit.
Martem ille ab ipſo nouennio ſecutus;
ſpatium victoriarum, maturiùs exorſus eſt;
vt quadragies ſepties victor triumpharet;
cui ſi vel ipſum Martem comparaueris, tyronem inuenies.
Nimirùm,
inter PIASTIDAS iſte prodigium, fulmenque bellicum;
vt comminueret plurima, obſtantia multa inuenit;
ceu gloriæ ipſius ſeruire vellent;
dùm virtutem laceſſunt;
ad Caninos vſque campos experta, vincere eum pariter, & viuere natum;
etiam poſt fata, terrore perpetuo fulminare.
Auguſta quoque in Boleſlao Criſpo,
contra Conradum, & Fridericum Auguſtos, virtus;
in Caſimiro Iuſto veneranda,
in Boleſlai Pudici, pudiciſsimo thoro,
triumphos innocentiæ duxit.
Tulit in Leſco quoque Nigro, *de comedente cibum,*
& egreſſam de forti dulcedinem;
dum ex Leone Ruſſo, Lithuanaque retulit ſpolia;
pro Coronis Regalibus, triumphales multiplicans;
donec in Premiſlao & Vladiſlao Loctico,
Regios iterum honores adimpleret.
Modica hæc, ingentis animi ſedes;
admirandum pugnaciſsimi ſpiritûs compendium;
auguſta immenſarum cogitationum, anguſtia ſimul & capacitas;
cùm iuſtam non complêſſet menſuram;
orbem impleuit, Maiores exceſsit, Magnos genuit;
Putaſſes in eo Piaſteam indolem,
in proximo iam magnæ propaginis exitu,
epitomen ſibi feciſſe;
vt tota ſimul, in hac Synopſi ſpectaretur:
quæ in CASIMIRO Magno, dum ſe latiùs explicat;

fœcun-

fœcunda triumphis, aucta prouincijs, munita Vrbibus;
solo Regiæ prolis, munimento sterilis;
redijt à Ludouico quoque Hungaro, masculæ coronæ indiga,
vt in Heduigi Piastea,
Vltimam cœlo coronam inferret;
sterilitate profectò sanctissima;
quæ Lithuaniam CHRISTO, IAGELLONES & KORYBVTHOS
Christianæ coronæ genuit:
vt in Te,
SERENISSIME MICHAEL,
omnia demùm claudens;
eum Te Regem coronet; qui Patriæ PARENS sis,
435 1267
sat Pius,
quia
PIASTVS.

SEPTIZONII TRIVMPHALIS,

ex antiquissima Magnorũ Lithuaniæ Ducum origine,

SERIES ALTERA.

Nescio quid in se arcani habet,
molimen hoc;
destinati magno Cœlorum arcano Principis,
augustis honoribus surgens;
cui augusta omnia ad Maiestatem;
etiam cùm è longinquo petuntur, ipsâ nascuntur sub manu.
Non fatigat hìc laborantes vetustas;
quæ cum delubra sua obumbrat, semideos facit;
non habitura reverentiam;
nisi in cœlum fugiens, Deorum connubijs,
irreuerentiùs se misceat:
ceu puderet humanæ originis, quos non pudet incertæ.
Augusta hæc,
Celsissimi, quem cultu publico prosequimur, Sanguinis;

 fontes-

fonteſque ſuos non diſsimulans;
tota ſe offert; ſcrutatoresque ſuos abſoluit;
nè quod in ænigmate obſcurè capiunt;
ænigmate obſcuriùs ſoluant.
Nimirùm,
ex cultiſsima orbis parte, vel ideò venit:
vt non quæratur inculta; ſed ſpontè prodeat humaniſsima;
quæ barbaram domi Tyrannidem exoſa;
eas ſedes quæſijt;
in quibus barbariem, ad elegantiam, & delicias vſque excoleret.
Diuina profectò Argo illa;
quæ orbem terrarum circumuecta, eos Lithuaniæ Argonautas intulit,
qui in hanc Colchidem delati;
Velleris Aurei Gazas fundauêre:
vt conſtaret,
tot Regum olim patriam, nidumque;
quorum hoc Velleris Aurei, auguſtum inſigne eſt;
non fruſtrà, tàm felices Argonautas,
poſt errores ſanè quàm feliciſsimos, recepiſſe.
Nauigatio hæc, ſolam in lucro vitam ponens,
omnium lucroſiſsima facta;
Pergama ſua dùm fugit, imperia condidit;
hoc agente admirando rerum ordine;
vt cùm Palæmoni in Italia cum Heroibus ſuis,
humanitas inter Tyrannos deeſt;
magiſterium humanitatis, Lithuaniæ per eum non deeſſet,
ſed cùm Palæmonem ſtupeo;
venientia cum eo, in Septemtrionem,
an verò ad Septizonium noſtrum?
magna Columnarum nomina, cur non mirer?
Et hæc quippe ſanguinis iſtius felicitas eſt;
cui vt moles auguſta, magnificentiùs aſſurgat;
ſpontè ad eam, per tot maria, ſinuſque,
peregrini orbis Columnas, nauigare oportuit.
Adeſte iam felices,
magnisque olim muneribus pares; quin & immortales columnæ;
& quorum Heroica nomina, vocalis Argo poſteris non ſiluit,
VRSINI, IVLIANI, CAESARIANI, GASTOLDI.
nempè & hîc Latium eſt, quod circumfertis;
Lauinaque littora vobis, cordolium non ſit mutaſſe;
nam & hîc coronæ vos faſcesque ſequentur;
ad imperium vbique natos.

Habe-

Habebit nobiles in CVNOSO Ducalis purpura cunas;
in ZIVIBVNDO, jugum tributi Rusſici erubeſcet;
vt excutiat in ERDZIWILO & triumphet.
Non longè abſunt,
in SKIRMVNTO, ex Zavolhenſibus Scythis triumphales,
in RINGVLTO Ciuicæ,
Regiæ in MENDOLPHO Coronæ,
felices aliàs, quia ſacræ;
niſi ſeruatæ olim dignioribus;
ex infelici capite, dum in CHRISTI fide nutat caditque, cecidiſſent.
Proteus quippe hic, vindicem STROYNATIS gladium, non fefellit;
vt diſceret,
religionem, non mollem ceram, nec laruam eſſe;
quam fingere, aut refingere, ponere vel ſumere;
tam facilè, & ridiculum ſit;
quàm Æſculapio barbam tollere.
Conſtantior poſt Vtenum, Trahumque, NARIMVNTI ſpiritus,
qui inter Lithuaniæ Principes,
equitis cataphracti, primus inſignia ſumens;
infractum vbique pectus, & grauiori armatura ſolidum;
ſemperq; aliquid magnum, tanto curſu perſequens;
etiam in TROIDENO Filio, Heroico Principe oſtendit.
Inſtabat nimirùm,
magnus in VITENE, ex Centaurorum familia, ſanguis;
ſub quo curſus ille, in Pogonia paratus,
nouas Lithuaniæ Olympiadas expectabat.
Nec diu illæ moratæ, in GEDIMINO, celſiſsimi animi Principe
Magno Iagellonis Koributique Auo,
immenſum gloriæ ſpatium inuenêre.
Diu plerumque laborant ſæcula, vt magna exempla pariant;
nec pudet longius grauida, expectationem orbis differre;
dum Auguſtos, magnosque Macedonas ferunt.
Ingens enim, multorum ſæculorum compenſatio ſummum aliquid;
quo ſe maximo exempli publici debito,
virtus ſubinde, & rara felicitas abſoluit;
vt multa interim ſæcula occupet.
Exolutum id, in GEDIMINO poſteriſq; ſuis, tanto publici boni prouentu;
vt ſuffecerit, ad magnam Heroüm fœcunditatem Lithaniæ;
etiamſi aliàs non pariturae;
vel in hoc ſolo, magnarum mentium in GEDIMINO partu,
per omnem vetuſtatem laboráſſe.

 Par equi-

Par equidem magnis tot ætatum ſudoribus labor hic;
quem Lithuania, dum non capit; totus Septẽtrio grandi cõplexu ambiret;
Exporrectum inde ad ſumma omnia *Gediminus* animum,
quàm geſſerit;
porrecti vltra *Volhyniam*, *Kiouiamque*, principatûs
non termini, ſed gradus arguunt;
quos nefas fuerat, coronatis ex OLGERDO Nepotibus,
impares Maieſtati relinquêre;
nè Auguſtos illa parere cogeretur in anguſto.
Nec mirùm,
Prouincias eum bello quæſiiſſe;
qui ne in venatione quidem, à propagando imperio ceſſans;
vbi feras inſequitur;
humanitatis receptacula, vrbes cœpit & condidit.
Felix venatio,
quæ binam Principum ſedem iuuenit;
ferreóq; ſomnio, pro condenda Principe Lithuaniæ vrbe vigilauit;
an quia bellatorum,
non vigiliæ tantùm; ſed ſomnia quoque Heroica ſunt?
quæ in ſopitis etiam herculeos actus moliuntur.
A tanto Principe, Vilna vt ſurgeret;
Majeſtatis interfuiit;
quæ in proximo, Chriſtianam religionem & coronam ferens,
in ea vrbe recipi debuit; quæ ad prærogatiuam huiuſmodi ſurrexerat.
Ab hoc immortali opere GEDIMINVS
immenſis ardoribus, ſuccenſum ad maiora ſpiritum,
dum ſagitta ignea, à Cruciferis ictus occumbit;
in OLGERDVM Filium transfudit.
Principem ſanè, Mavortijs caloribus, tam ardentem;
quàm eum magnæ ex cæſis Cruciferis victimæ,
ad paternæ mortis vindicias ſuccenſæ;
quam Demetrius Moſchouiæ Dux,
Victorem ante prælia, Iovem ante fulmina ſenſêre:
Didicit tum Moſchua,
generoſos animos; *non prouocari* fruſtra;
quorum ſtimuli interius calentes, *alimento gloriæ*, *tàm facilè corripiuntur*;
quàm ſi oleum Vulcano affuderis:
nempè ante fomitem ignis extinctum; quem OLGERDVS Moſco miſerat;
totus ipſe Martius fomes ardorque, *tumentem fumare Moſcuam fecit*;
quæ ſe mirata, momento ſub haſta veniſſe;
dum ille victricem, vt promiſerat,
arci haſtam infigit;

haſti-

hastiludium fortunæ non ampliùs tentauit;
ita OLGERDVS, ex fomite ignis inextincto;
æternam gloriæ Pharum succendens,
Asbestinas in eo duodecim filiorum lampadas;
an verò igneas, Septizonij nostri columnas, reliquit;
totâ omnium luce
in IAGELLONES & KORYBVTOS,
ex intervallo sæculorum, sic demùm transfusa;
vt cùm Iagellonica scintilla deficit;
inextinctus germani sanguinis splendor,
nouam Regnatricis Domûs incipiat lucem;
in qua,
vel ex ipso nomine dilectus patriæ
SERENISSIMVS
MICHAEL KORYBVTH
4 2 5 5 1 9 10 7 13 8 6 12 11 14.
HIC AMOR LVCEBIT.

SEPTIZONII
TRIVMPHALIS,
ex auita Korybuthei sanguinis gloria,
SERIES TERTIA.

Peregrinam operum publicorum magnificentiam;
quæ verecunda domesticæ indigentiæ, confeßio est;
procul hinc arcet,
conscia magnitudinis suæ, KORYBVTHEI *sanguinis Maiestas.*
Non moramur hic,
si alicubi orbis, in plures lapidum maculas, laboret;
si alicubi maria sub Chio, Rhodioque pondere gemant;
ex hoc pretioso terrarum abortu, augustas moles erigere;
mutoque saxorum præconio, Heroum gloriam loqui;
Modicus perpetui honoris census est.
Illud augustum & Regium;
magnis attollere Septizonia nominibus,
insignire exemplis; coronare triumphis.
Hic nobis ex KORYBVTHEO *sanguine, apparatus maximus*;

 hæc do-

hæc domeſtica Ægyptus, Lybia cum Perſide, Indisque;
& ſi quid exotico nomine famoſius.
Sufficit pro his omnibus,
GEDIMINO AVO, OLGERDO PATRE,
IAGELLONE GERMANO,
Vitoldo Patruele, Alexandra ſorore,
inclytus KORYBVTH.
Ex his nominibus nullum eſt, quod orbis theatrum,
& conſanguineas Europæ coronas, non impleat;
cùm impleuerit,
GEDIMINVS Ruſſiam, OLGERDVS Moſchuam,
VITOLDVS Tartariam trophæis;
Iagello Poloniam, Hungariam, Bohemiam, Regibus;
Alexandra Auſtriam, Hiſpaniam, Imperium,
Principum, Regum, Cæſarum, coronis.
Theatrum hoc ſanè auguſtiſſimum;
in quo,
ALEXANDRA,
Iagellonis & Korybuthi Soror,
Zemovito Mazoviæ Duci nupta,
ex CYMBARCÆ,
cum ERNESTO Archiduce Auſtriæ,
felici thalamo,
Fridericum, Maximilianos duos, Carolum
Quintum, Rudolphum, Matthiam, Ferdinandos Quatuor, Leopoldum,
Romanorum Imperatores ſemper auguſtos;
Philippos Quatuor Hiſpaniæ Reges;
inter domeſtica, Korybuthei ſanguinis decora cenſet.
Hoc ad Majeſtatem Korybutheam, ſi non ſummum;
quod in orbe Europeo celſiſsimum;
Divorum certè conſanguineus ſplendor,
gentilitios, etiam in ambitioſiſſimis, ardores ſiſtens,
Herculeum hîc, non plus vltra inſcribit.
D. CASIMIRVS LITHVANIÆ PRINCEPS;
communis Iagellonum, & KORYBVTHORVM ſanguis,
commune quoque delicium; augu-

augustæ vtriusque Domûs fastigium, eò intulit;
quò humana fastigia assurgunt nulla.
Ebur hoc puritatis, & innocentiæ victima,
gaudet vtique;
SERENISSIMVM MICHAELEM,
eum dilectis gentibus Regem,
eum Iagellonicæ gloriæ successorem, cœlitùs datum;
cuius innocentia vitæ,
consanguineos cœlorum nexus, non reformidet:
sanguinem, & animum Principe dignum, ita circumferens;
vt ad Divorum genus, non frustra pertineat.
Certè non alium, divina propè electio illa,
invenisse cœlitùs debuit;
quàm eum, cui diploma cœleste, tot consanguinea,
Divorum manus subscripserunt.
Priuilegium hoc ex rarissimis, omnia retrò sæcula & merita KORYBVTHORVM,
in eo capite coronat;
in quo, ipsi etiam decora, & delicias suas,
Superi coronârunt.
Huc etiam immortalium Heroum,
Bellator ille spiritus,
ad Regalem KORYBVTHEAM purpuram, cùm respicit;
non erubescit, suo aliquando,
Moschicos, Tauricanos, Moldavicos, Otthomannicos enses,
pro DEO & Patria, fuso sanguine rubuisse;
ex quibus
DEMETRIVS KORYBVTH,
devota Marti, contra Tamerlanis copias, victima;
quod non profundiùs, in viscera sua egerit;
barbarum acinacem incusat;
vt tantò vberiùs proflueret, generosissimus sanguis ille;
quem in Sarmaticam purpuram, desijsse aliquando oportuerat.
Nec SIGISMVNDVM quoque KORYBVTH,
pro corona olim Bohemica, desudasse, iam pœnitet;
cùm ne tertium quidem seculum, ab eius ætatis iudicio recesserit;
quod KORYBVTHOS Regali semper coronæ pares;
nunc etiam Reges eligi, & inaugurari convincit;

D ceu di-

ceu diluculum illud, ejus Majestatis tùm fuerit;
quæ nunc se, in clarissimam diem explicans;
vt longissima fieret; remotiùs oriri voluit.

Nec diuisit eam,
post THEODORVM & DANIELEM,
BASILIVS KORYBVTH;
quanquàm
in Visniouiecios, Zbarascios, Porecciosque Duces,
derivatam;
cùm vbique decorum sanguinis, in fonte suo seruatum;
collecta semper luce, id egerit;
vt aliquando totum in vno; qui solus omnium compendia,
in solio ferret, spectaretur.

Ex oraculo rem agi dixisses;
ita nihil non eminentissimum semper, in KORYBVTHIS,
& ex Regia indole factum;
inter summos vbique popularium suorum amores;
Maiestatis, quæ in arcano tenebatur, genium non amisit.

In pulvere Mavortio perpetui,
turmisque militaribus, nunquam non immisti;
ijdem tamen semper, os humerosque Dijs similes;
semperque Agamemnona spirantes;
Magnique etiam in Ephæstione Alexandri.

Fatale id classicum hostibus patriæ,
plagamque insanabilem ferens;
quoties Ducum in Visnioviec KORYBVTHORVM,
gradiuus pater nomina recenset;
qualia
in CONSTANTINO, MICHAELE,
ALEXANDO,
Ducibus Visniowiecijs,
Propontidi, & Tauricæ inimica,
nudum sæpius ab ea parte, indefensumque patriæ latus,
barbaro mucrone peti;
vel ipso, cùm nominantur, terrore prohibuerunt.

His mœnibus, Sparta nostra cingitur;

arietan-

arietantibus perpetuò Getis, Thracibusque:
sed contra Aheneos pectorum oppositus, non praualentibus.
stridore Orientis, fremituque tanto;
vt si Minotauro illi, Sarmatiæ victimas extorquere liceret;
has primùm Lacænas;
quæ Visnioviecios Heroas pariunt,
immani peteret rictu.
nobilem quippe offam, quam cùm sæpiùs appetijsset;
ferreum in ea bolum rodere coactus, edentulus abijt.
Africa quidē, Scythica, Bizantina, Cosacica,
semper aliquid, ab ea parte noui;
sed Scipiones VISNIOVIECII præstò;
sed contra Hydræ illius capita, in excubijs Patriæ,
Hercules perpetui.
Magnis olim, ANDREÆ Duci in Visnioviec, Palatino Volhyniæ,
MICHAELI & GEORGIO, Castellanis Kijoviensibus,
CONSTANTINO Palatino Rusiæ,
IANVSSIO Supremo Stabuli Regni Præfecto;
ætate quoque nostra proximi,
DEMETRIVS, & CONSTANTINVS,
Duces Visnioviecii,
celsissima KORYBVTHEI sanguinis, & Martis Sarmatici nomina;
id omnium exigentibus meritis;
vt à coronis Visniovieciorum triumphalibus;
ad bellicosæ gentis coronas, ex Mauortia stirpe prodires
PRINCEPS;
cùm inter clasica bellorum, paternaque trophæa nato;
contra hostes Patriæ, ab vberibus semper fuerit,
SERENISSIME
MICHAEL KORYBVTH,
TIBI MVCRO LAC.

SEPTI-

SEPTIZONII
TRIVMPHALIS,
ex immortalibus trophæis, ab incomparabili Heroë,
HIEREMIA KORYBVTH, Duce Visnioviecio,
Magno SERENISSIMI REGIS PARENTE,
gloriosè erectis.

SERIES QVARTA.

Curam hîc nostram, excipit vniuersa,
quæ manus in augusto opere, consecrare nititur,
POLONIA;
vt vnam in Septizonium triumphale tollat;
sed quæ pro mille alijs sufficit,
Columnam.
Centimanos proinde non inuoco;
quando comportantium, tot iam in opere manus;
à Ponto Euxino, Balticisque littoribus; à Tanai, & Volga;
quod ne in sua quidem Epheso, Asia vidit.
Amoris quippe publici nomen hoc, exciuit Sarmatiam omnem;
vt Atlantis sui delicium, non onus;
tota exultantibus brachijs subeat;
cui securè olim incumbens, non procubuit.
HIEREMIAS is Dux Visnioviecius,
Terrarum Russiæ Palatinus,
Heroum ætatis nostræ apex, an verò Phœnix est?
satis jam ad Majestatem, vniuersæ gloriæ dictum;
cùm exhauserit omnis æui exempla, Heroumq; nomina,
qui HIEREMIAM Visnioviecium dixit:
adeò nihil in omni sæculo Mauortium; quod hîc non ad amussim vsq;
Heroicum.
Excedit fidem, auget prodigia,
stuporem omnem vincit;
animus ille tam ingens, tam vastus;
ceu Martem ipsum, exarmare paratus;
pericula vbique hauriens, pericula tàm sitiret;
quàm Oceanus fluminum, quibus non crescit vndas.

Prin-

Princeps in eo vbique,
ſanguis, indoles, ſpiritus;
etiam inter Palladias, à teneris, domi, foriſque artes;
totus in ægide, totus in haſta;
vt iam Achillem noſſes;
quem non armatum tenere diutiùs;
exquiſitiùs torquere fuit.
Adurgebat eum mille ſtimulis,
maſcula ante ætatem virtus;
ipſa demùm tormento futura maximo;
niſi armorum ſitientiſsimæ indoli compatiens;
in effuſis latè ad Smolenſcum Moſcuæ viribus;
ingens ei theatrum gloriæ objeciſſet.
Non hominem tùm, ſed mentem ipſam crediciſſes;
quando lectiſsimâ quindecim prope millium manu collectâ;
ad Martem ſuum, VLADISLAVM IV. conuolans,
grandi obſidio confiſum;
grauiùs hoſtem ipſe, ab interioribus Moſcuæ, momentò obſedit.
Ictu propè triſulci fulminis,
SEHINVS, & PROZOROVIVS concidiſſe viſi;
cùm ab ea parte detonans VISNIOVIECIVS,
omnia ſterneret;
primus in acie, infractus periculis,
perpetuus in palmis.
Ad triumphos VLADISLAI, ingens in eo momentum;
à quo, igne triumplali, tota propè Moſcua ſuccenſa;
probra ſua ſpectare maluit, quàm buſta;
Conceſsitque victorioſiſsimo VLADISLAO trophæa;
vt VISNIOVIECIO tanti Regis præconium, non differret.
Sed brevis hæc,
ingenti animo, ad gloriam lucta;
qui ad fortunam VLADISLAI, ſiluiſſe omnia,
in Aquilone cùm cernit;
ad grauidum periculis, Abazi Baſſæ Orientem, contendens;
necdùm excuſſo puluere Moſchico,
ad olympia Thraciæ venit.
Grandis bellator Abazi, menſuram tùm ſuam,
ex pollice VISNIOVIECIANO, diſcere coactus;
erubuit triarius tyrocinia ſua;
quæ vetus bellorum, Bizantij luit;

quod

quod in portu triumphorum Asiæ navigans;
ad Moldavica littora alliserit.
Scopulus hic,
HIEREMIAE Visnioviecij,
inevitabilis armorum felicitas;
ad quam Cosacica quoque in Starzec,
obstinata rebellio; cùm impegisset;
infelicem baltheum miserè soluit.
Ianum interim, Vladislaus victor, paci Sarmaticæ:
sed non fortitudini Visnioviecianæ clausit;
cuius ætas, vt victorijs potius constaret, quàm annis;
januam ei bellorum,
perpetuò ad novos patere triumphos oportuit.
Commodum ad id,
ex Omer Aga Scytharum Ductore classicum;
qui cùm in Rusiam, barbaro more irrumpens;
opimaq; Iovi Tauricano spolia ferens,
propè jam excederet;
VISNIOVIECIVM repentinâ manu irruentem;
denis suorum millibus amissis, prædáque omni ereptâ;
etiam aliud agentem, triumphos agere;
ægrè ad Mæoticam paludem suam, tristè coaxans respexit.
Redijt tamen iterùm ad Ochmatow;
vt turpem in bello Solœcismum, bis in eo delinquens, cõmitteret;
funestam proinde plagam meritus;
geminatâ clade, VISNIOVIECII, & aliorum Heroüm,
victoriam geminauit.
eo demùm Scythiæ suæ contemptu;
vt Oczakoviæ, laribusque Tartaricis;
VISNIOVIECIVS propior sæpius, quàm olim Annibal Romæ;
ex immissis, in delubra Scythica sagittis;
arcus sibi triumphales, in Taurica erexerit.
Sitis hæc immensa bellandi
quæ nè in hostico quidem restingui potuit;
hosticum domi, post fatalem Corsuni cladem, inueniens;
omnem illam armorum seruilium inundationem;
si non exhausit, sola certè diu sustinuit.
Spartanum Visnioviecij pectus,
in adversis Patriæ, nunquàm aversum;

diu ad

diu ad Thermopylas illas, tribus nonnisi millibus suorum,
insolescentem victoriâ, barbarum, servilemque furorem,
nè in viscera Poloniæ sæuiret, distinuit:
etiam tragicos monstri Pilauecensis, non permissurum errores;
nisi clauam Herculi,
æstus ille, turboque publicus abripuisset.

Insolitum id Visnioviecio, morteque ipsâ atrociùs;
in obsidio Zbarazensi, mille cum mortes quærere;
atque vt Martis Poloni tolleret ruborem,
ducentis propè Scytharum, Cosacorumque millibus;
pro gloria gentis, & salute publica, in victimam obijci fecit.
Arctissimus hic, ingentis Visnioviecianæ fortitudinis circus,
impleuit sæculorum omnium gloriam, restituit exempla, exhausit pericula;
ipsas etiam obsidionales coronauit, vicitque coronas;
quando cum duodenis millibus,
ab innumera multitudine obsessus; non horis, sed momentis;
consilio, manu, virtute, stratagemate pugnauit;
vbique liber, & inuictus.

Castra, vallum, fossæ, vineæ, defensionis nomina tantùm;
omnia hæc in VISNIOVIECIO secura, defensaque;
in cuius antemurali pectoris, illud perpetuum;
aut profligabo, aut moriar.

Stuporem hunc ætatum omnium, sola immortalitas capiet;
medijs in mortibus, ita vixisse, ita vicisse;
ceu obsessos, in viscera sua tandem recepturus;
quò grauiùs premeretur, maiora quotidie amoris publici viscera, dilataret.
Ab hoc Pelicano vita, salusque;
qui cùm, in vsus difficillimæ obsidionis, distraxisset omnia;
Cor etiam ipsum, bono publico, discerpere paratus;
vnum illud doluit; quod in laudatissimo opere,
inter hostium admirationem & elogia, cum Epaminonda dicere non potuerit;
satis vixi, cùm inuictus moriar.

Seruatum hoc ei,
ad Marathonios, Berestecensis victoriæ campos;
vbi fusis iterum, ampliùs quàm centũ millibus hostium, fugatisq;
invictum inter coronas triumphales spiritum,
Pauolociæ claudens;
eas doloris publici cataractas reserauit;
quas nulla vnquam solatia obserarunt.

Vixit bellator, obijt victor;
Pius, invictus, felix,
bello, pace, virtute, fortunâ, summus,
incomparabilis, verèque Augustus PRINCEPS;
dignus omninò,
vt Patriæ, Regisque Poloniæ PARENS,
pro corona Regni;
quam,
Sanguine, Virtute, Prælijs, Victorijs,
attigit, meruit, defendit, ornauit,
in SERENISSIMO FILIO
viueret
CORONATVS.

SEPTIZONII TRIVMPHALIS,

ex gentilitijs Zamoscianæ Domûs splendoribus,
SERIES QVINTA.

Æmula iterum, magni sanguinis celsitudo,
spontè ad summum operis assurgens;
non fatigat, magnitudine suâ minores conatus, sed tollit.
Immortales profectò,
maximis Heroum stirpibus, gratiæ agendæ sunt;
quod triumphalis apparatus negotia, sumptusque publicos,
facilè expediant;
cùm ab omni æuo, in magnificentiam suam laborauerint.
Hoc sacer ille,
KORYBVTHEI, ZAMOSCIANIq; sanguinis nexus,
sic adimplet;
vt ortam ex vtroq; amplitudinem, diminutum omninò eas;
si aliquid ei, de ingenio adjeceris.
Statue illam Orbi, vt in se claruit;
& jam egisti omnia.
Spirabunt hæc nomina, arcanum illud gloriæ;
cuius intelligentia, supra communem genium.

Zamo-

Zamosciani ergò Sanguinis decus,
quale Principes, quale Regum consanguineos, natalesq́; decet;
ex vetustissimis in Sarmatia, cùm eò processerit;
vt KORYBVTHAEO, OSTROGIO, KOSTKANO,
ODROWAZIOQVE sanguini junctum;
priuilegia Majestatis, non aliundè poscat;
sed inter domesticas prærogatiuas censeat;
Regalis SEPTIZONII, portio sanè augusta est.
Par illi cum LECHO, ex Kozlarogijs,
ad FLORIANVM vsque SARIVM, deducta vetustas;
in cuius visceribus hostis, Sarmaticam virtutem scrutatus;
tres cùm infixißet hastas, animi magnitudinem non confixit.
Heroico spiritu, per tot ostia,
vel ideò prodigiosiùs non egresso;
vt Regi, & orbi constaret;
quantùm deinceps animi, in Zamosciorum pectora transfudißet.
Decebat profectò, ex tantis visceribus,
stirpem eam nasci; quæ Summos Viros pareret;
partu sanè admirabili;
qui cùm rupisset viscera, vitam non abrupit;
ceu immortales in FLORIANO SARIO Heroas,
seculum illud posteris gigneret.
Et suffecerat quidem, vel pro solo,
IOANNE ZAMOSCIO,
Magno Regni Cancellario, & Supremo Exercituum Præfecto;
tàm effusa pro bono publico, viscera fatigari;
in quo Zamosciorum omnem gloriam, vno mascula virtus partu,
sic genuit;
quasi fœcunditatem iam omnem exhausisset.
De animo Summi huius Viri,
Palladis & Martis certamen perpetuum,
& simul vtriusque in eo perpetua consensio;
Numam, Camillumq́, Scipiones, Catonem,
diuersa virtutum exempla, in vnam hîc ideam ducta;
eo loco POLONIA habuit;
quo virtutem ipsam, si humanos vultus induisset.
Fulmen idem belli, & Oraculum pacis;
idem Achilles, & Nestor; aurea Herculis catena, & claua;
cum summa gloria, supra inuidiam;

in illa semper assurgens, huic perpetuò formidandus.
Martem eius victoriosissimum,
triumphata Moschouia, Livonia recuperata,
repressa cum CAROLO Sudermano Suecia,
Scythæ, Moldaui, Turcæ, cæsi sæpiùs, fugatique;
immortalibus trophæis, si non loquuntur, stupent.
Sapientiam, authoritatem, suadam,
summi judicij vim, integritatem & celsitudinem animi,
SIGISMVNDVS AVGVSTVS, HENRICVS VALESIVS,
STEPHANVS BATHOREVS, SIGISMVNDVS TERTIVS,
Serenissimi Poloniæ Reges,
ornamentis suis, quibus in eo ornando certarunt,
prædicant sanè ornatissimè.
STEPHANVS certè BATHOREVS,
animum eius verè Regium, cùm satis ornare non posset;
GRISELDE BATHOREÂ,
CHRISTOPHORI BATHOREI, Palatini Transsylvaniæ,
Fratris sui Filiâ, in Matrimonium ei collocatâ;
tanti sanguinis dignatione,
thalamum eius Regium fecit.
Seruauit tam augusto vinculo, Majestatem suam,
dignus tanto Parente Filius,
THOMAS ZAMOYSKI, Cancellarius Regni;
præter rerum gestarum gloriam, meritorum amplitudinem,
honorum eminentiam, tædis quoque nuptialibus,
noua, Regiæ stirpis vincula adaugens.
Accessêre illi,
ex CATHARINA OSTROGIA, Consorte lectissima,
ALEXANDRI Ducis in Ostrog, Palatini Volhyniæ FILIA,
CONSTATINORVM, THEODORI, IANVSSII, BASILII,
Romani, Ducum in Ostrog;
DANIELIS Regis Haliciæ,
LEONIS, IAROSLAI, VLODIMIRI, Rusiæ Ducum;
ANNÆ, BASILII, & CONSTANTINI,
Orientalium Imperatorum Sororis,
VLODIMIRI Ducis Rusiæ Consortis;
MARIAE, CASIMIRO I, Regi Poloniæ nuptæ,
Iaroslai Ducis Filiæ,

æmula

æmula maximis natalibus, augustißimi sanguinis decora;
conspirantibus ad id,
tot coronatorum Capitum, Regijs splendoribus;
vt ex maximo tanti sanguinis apparatu;
cunas hîc Regias apparari,
nasciq; in summa luce, noua Regnatricis Domûs lumina appareret.

Atque hoc vtinam,
proximus ille, limpidissimæ huius lucis ocellus,
IOANNES ZAMOYSKI Palatinus Sendomiriensis,
in Orbis Christiani facie reuelatum,
vidisset!

Nunc enimverò,
ex orbis Europæi, delatis sibi vbique honoribus,
ex Moschicis & Sueticis,
ingenti animo & sumptu, partis victorijs;
ex amoris publici, & meritorum in Patriam conscientia,
Heroico animo, voluptatem justè paratam,
suo tandem gustasset in fonte.

Quod in Te,
incomparabilis Heroina,
Illustrissima, & Excellentissima Princeps,
GRISELDIS CONSTANTIA,
IN ZAMOSCIE
DVCISSA VISNIOVIECIA,
Serenissimi Regis Nostri PARENS felicissima,
tantò vberioribus solatijs transfusum est;
quod KORYBVTHEæ, & Zamosciæ felicitati superstes;
tot animorum, quæ fuissent gaudia, vno in corde sistas.
Sed illud
ex merito suo, tot gaudijs delibutum,
ad exhauriendum publicæ lætitiæ fontem, supereße debuit;
quod inter heroicæ constantiæ exempla,
primum semper, & inuictum, ac omninò tale fuerat;
quale,
HIEREMIAE Ducis Visnioviecii,
supra titulos omnes, Principis & Bellatoris fortissimi,
Consortem, animi celsitudine non disparem;
quinimò ipsam Constantiam decuit.

 Hoc ni-

Hoc nimirùm agebat,
diuturna illa, publici mali inclementia,
eminentiſsimo à Te, ipſisq; etiam Heroibus imitando,
magnæ mentis oppoſitu excepta;
vt ſupra omnes Camillas, verè invicta,
verè Auguſta MATER;
bellicoſiſsimæ genti Regem, non pareres tantùm;
ſed ex Te quoque, ad auguſta omnia formares.
Heroina nempè,
ex conſanguinea Odrowaziorum, Koſtkarumq; ſanctimoniæ gloria;
quæ DIVOS cœlo, HYACINTHVM, & STANISLAVM KOSTKAM genuit;
eius pietatis;
quam in SERENISSIMO FILIO coronatam,
cœleſte non ampliùs, diſsimulare potuit arcanum;
eius ſapientiæ, magnanimitatis, prudentiæ, beneficentiæ,
& admirandæ cuiuſdam virtutum omnium Maieſtatis;
vt non aliam magis deceat, Filios
Regnorum parere
MONARCHAS.

SEPTIZONII TRIVMPHALIS,

Verè auguſta, Sereniſsimi REGIS, animi decora, & elogia recenſens,

SERIES SEXTA.

Tàm auguſto ſanguine genitus,
quantus in Te,
SERENISSIME MICHAEL REX,
& quàm ex merito Tuo, auguſtus ſis;
vel in extrema, tantæ Majeſtatis fimbria, legere;
nunc deinùm,
digna Septizonio triumphali magnificentia,
dignum terſiſsimâ orbis vniuerſi pupillâ, ſpectaculum eſt.
Emblema illud, magni ſanguinis Tui,
quod præmiſimus;

non ideò

non ideò, in vestibulo gloriæ Tuæ stetit;
vt totos occupet, rapiatuè,
Restat adhuc, superestque intrò venientibus;
ea ex Te ipso, Tibi propria Majestas;
quâ nemini cedas, cùm eam nemini debeas;
citrà omnem sanguinis apparatum, regio semper animi cultu;
& titulis, ex fastigio imperantium maximis digna.

Ea nimirùm solicitudo,
Regiam indolem Tuam, semper habuit;
vt quamvis, tot Principum, Regum, Cæsarum, sanguis sis;
quamuis in patrimonium, priscæ Majorum virtutis,
jure Tuo venias;
anxius tamen, ceu nihil ante Te præcessisset;
severam Tibi legem præscripseris;
ex alieno non mereri.

Itaque,
tanquàm nunc primùm, lucem illam ferre disceres;
quæ ortus Tuos, in Domo principe, planè inundauerat;
cætera omnia claritudini Maiorum relinquens:
illud vnum servasti,
accepta ex ijs magna indole,
non illustrari, sed clarere;
quod reputares, miserum admodùm esse;
obvertere hiantem cum Cynthia, indigamque lucis faciem;
si fortè, quæpiam è longinquo, mutuati lacinia splendoris affulgeat.

Mirùm sanè,
quod securus de tanti sanguinis meritis;
accinxeris Te operi;
ceu ex integro causam, apud vniuersam posteritatem acturus;
ipsâ etiam Pallade,
ad primæ ætatis, sapientiæ studium, admiratione suspensâ;
quod à Te, tam accuratè exegisti;
tanquàm non alia Tibi, gloriæ Olympia superessent.

Ptolomæos, Cæsares, Alphonsos,
hoc in genere laudis assequi parùm;
nisi etiam, ad palmam vsque cum ijs certare,
ad has etiam victorias, ex victoriosissimo Parente natus,
proposuisses;
cultissimo sæculo, ingenij primùm,
mox imperij gloria Princeps.

Arcanum & illud educationis Tuæ;
quod Regna olim curaturus;
vt ad Regiæ Dumûs curam, à teneris pertineres;
absolui primùm, curis mortalibus, Magnum Parentem Tuum oportuerit;
ac si orbitas illa, vel ideò præmaturè venisset;
vt Regum pupilla citiùs fieres.

Ea primùm,
SERENISSIMI OLIM,
CAROLI FERDINANDI,
Poloniæ & Sueciæ Principis, felicitas;
cuius innocentia vitæ, ne omninò infecunda transiret;
Regem Te Polonis educauit.

duodecim millibus talentorum Ephestioni,
Magnus parentauit Macedo.
Satis ad fastum, ad amicitiæ jura superfluum;
plùs tamen,
ad immortales orbis Sarmatici promerendas gratias,
CAROLVS Princeps impendit;
dùm impendijs in Te, post magni Parentis obitũ, Principe dignis;
non tam ei parentare;
quàm Parentem Tuum agere maluit.

breui deinceps,
in SERENISSIMAM olim,
LVDOVICAM MARIAM,
Reginam Poloniæ,
pari felicitate translatâ;
vt cuius Regiam prolem, breues terrarum delicias,
maturè sibi cœlum popoſcerat;
Augustæ in Te Matris, longiori solatio non careret.
Receptus ab ea, ceu in spem Regni assurgeres;
ita Regiâ omninò curâ habitus es;
identidem cor illud Reginale, inscrutabili cogitatione pulsante;
an fortè magna aliqua fortuna, obsidem Te sibi dedisset;
vt tandem,
oculo mentis vbique perspicacissimo;
in eo tota verè lyncea fieret;
quod in animum Tuum, tam profunde descenderit;

vt arca-

vt arcanum in Te diuinum propè intelligens;
præuideret judicio, quod magno latebat inuolutum secreto;
si Polonia PIASTVM Regem quæreret;
non in alio Principe, feliciùs inueniendum iudicans.
Oraculum id,
olim in vmbra, nunc in orbis facie;
mentes Principum, ad responsa plerumque divina moveri,
ceu voluntatis eius conscias, cuius vices in terris gerunt,
confirmauit.
Sed nec augusta illa animi Tui decora,
dissimulare poterant;
quin Te præsagâ velut Seruij Tulli corona cingerent;
erumpentibus passim earum virtutum radijs;
quæ Maiestatis propriæ sunt.
Pietas in DEVM,
quàm Regia, quàm augusta;
ex conscientiæ puritate, & Catholicæ religionis zelo,
lydium sui lapidem habet.
Transijt illa profectò, in substantiam Tuam;
ex perpetuo in ea alimento;
an verò consanguineis etiam, tot Diuorum in stirpe Tua,
igniculis accensa;
tàm ardens certè, & tàm animo Tuo congenita;
vt ad Orthodoxi Regis titulos, diuinitùs planè electus sis;
cùm DEI, & religionis negotia, ante omnia elegeris.
Ex hoc fonte,
animi innocentia, moderatio, benignitas,
victoria sui perpetua, tranquillitas interior, lenibus Etesijs composità;
sudumq; illud placidissimi pectoris, citrà turbas nubesque.
omia hæc ad Regiam clementiam directa;
quâ virtute vt excelleres, motus animi omnes composuisti.

Delicias mortalium Titos,
sæculo illi vt non invideamus;
mira animi Tui dulcedo, ingens augustæ clementiæ arrha efficit;
quâ Cyros, Augustos, Severos ut vincas;
omnium jam animi mansuetudinem vicisti:
vt jam Agesistratæ Spartanam vocem illam;
suprà Agidem filium, mutare liceat;
Tua Te bonitas, Tua humanitas,
non absumpsit, sed assumpsit;

& eò quidem, vbi Tecum sit, magni custos clementia sceptri;
vt Ciuem, Patremque geras;
quem in Te, vel ipsa naturæ bonitas, sic formauit;
vt plenus ille Majestatis vultus, non aliud postulet magis;
quàm diligi,
non aliud spondeat securiùs, quàm Regium illud;
beneficia conferendo nunquam vinci,
quibus, ex inimicis etiam facere amicos, cùm liceat;
opus id sanè Heroicum, Tuum vnicè putas;
quòd didiceris,
pulcherrimam esse ex inimicis victoriam, amicitiam.
Arduum id, & non sine conflictu;
sed magnanimitas, & inuicta cordis tui constantia,
vuas ex spinis, inter adversa, collegit semper.
Inde Vlysseas plusquàm vicenas hyemes,
contrà fortunæ impulsum æmulatus, illud magno animo voluebas;
Lætius est, quoties magno sibi constat honestum.
quale illud,
cum IOANNE ZAMOSCIO Auunculo Tuo,
contra Sereinetum ad Czudnow;
cum SERENISSIMO IOANNE CASIMIRO,
contra Moschos, & Cosacos vltrà Borysthenem;
Marte rigidissimo partum;
vbi paternæ gloriæ vestigia secutus;
bellicæ virtutis decora, ab eius gentis trophæo, auspicatus es;
quam ille primam vicit.
Sic quæ per ardua Tecum, ad summa processit;
ante Coronam invicta, pro corona victrix,
triumphat
in Te
SOLA VIRTVS.

SEPTIZONII TRIVMPHALIS, REGALE FASTIGIVM.

Nec felicitas humana procedere altiùs;
nec triumphale opus, quàm in Regali fastigio,
augustiùs desinere potuit:
cùm ipsa etiam inexplebilis, ibi desinat ambitio;

vbi sola

vbi sola maior restat, per quam Reges regnant, potestas.
Nasci ad hoc culmen, fortunæ;
eligi, virtutis opus;
cui gratiæ omnium maximæ habendæ sunt;
quod melioribus calculos servet.
Descriptos certè optimos mortalium, in annulo suo, sola gestat, & nouit;
quos diu sub arcano signaculi seruans, ad coronam reuelat:
qualem Te nobis,
SERENISSIME MICHAEL REX,
pretiosam ex hoc annulo gemmam,
quæ sola nouerat, sola dedit.
Regiam quippe viam Tuam, ad hoc fastigium,
vt nemo adverteret;
DEVS ipse, celatam esse voluit;
callem eius vbique sacrum, & à se custoditum,
nunc demùm revelans;
cùm iam directa cœlitùs ad coronam, obseruare vestigia;
humanos ad ea nihil facere gradus, confiteri est.
Regium hoc iter,
DEVS tecum, ab eo potissimùm tempore ingressus;
cùm Tu ei in via, nube Eucharisticâ velato, pronâ adoratione occurrens;
RVDOLPHINæ pietatis exempla renovasti.
Exultauit ille ad currendam viam, venerando Sacerdotis pectori incumbens;
vt cibus vitæ, viaticum morientibus fieret;
sed non minùs in Te,
ad genua Sacerdotis prouoluto, atque vt equum conscenderet obsecrante,
vt Rudolphinam benedictionem festinaret, exultauit;
à vijs Tuis non jam ampliùs recedens;
cùm Tu in vijs eius ambulare, quando cibus ipse ambulat,
Diuinum Mystam comitatus, elegeris.
In hoc ferculo cœlesti latens;
ipse Te sustulit in solium; cuius Tu Maiestatem vt tolleres,
pronus in terram descendisti;
qui etiam, in admirando Electionis Tuæ opere,
apparuit inter homines: QVIS VT DEVS?
in peruigilio Eucharistici Festi sui,
mirabilia Altaris, & Throni Tui coniungens;
vt in Eucharistico pane, tàm piè olim adoratus;
DEVS HOMO, pro Electo suo victor;
Crastino, humana consilia omnia, duceret in triumpho.
Auspicium id Regnatricis Domûs,

Augustissimo sanguini Austriaco non dissimile,
victuræ illius felicitatis prærogatiuam,
ab immortalis vitæ cibo, nutrimentoque sumens;
Sacram Regum mamillam invenit;
vt nutritios divinitatis ex KORYBVTHO,
si non immortales in terris; diuturnos certè faciat.
Ex hoc duraturæ felicitatis nutrimento,
amoris quoque publici, fomes ille perpetuus accenditur;
qui sacer imperantium ignis est.
Pracedere eum, summos olim Monarchas in publico oportuit;
vt tum demùm, securam imperijs suis claritudinem sponderent;
si corda ciuium, sacram hanc benevolentiæ conciperent flammam:
quæ TIBI
SERENISSIME MICHAEL REX
ad Regale Fastigium Tuum, tanta præluxit;
vt non alias, cœlestes virga Promethei felicius tulerit scintillas;
quibus cor Poloniæ,
ad Heroicum opus perficiendum animaret.
Orientem proinde ad Regni auspicia solem;
nemo Te feliciùs, in occasu illius diei conspexit;
quæ sola vt Iosue Polonum haberet, meruerat;
cùmque solem suum, invitum planè ab illo,
memorando omnibus retrò seculis spectaculo,
non tàm declinare; quàm rapi sub terras vidisset;
mille pro eo, amoris & gaudij publici, lampadas accendit;
nocte illâ, sole novo in solio Regni æternùm lucidâ;
quæ secutura deinceps,
discussis tenebris in lucem secula fudit:
Aurora tùm in Hesperum mutata, matutinos purpuræ suæ, præ gaudio reliquit ortus;
vt insolitum decus illud spectaret;
quod in Regiæ Tuæ purpuræ, felicissimo ortu accendisti.
ita in crepusculo illo,
eminentissimum Tibi Majestatis fastigium assurrexit;
in quo dubiam Poloniæ lucem, arcanum illud;
quod lucem diu habitauit inaccessibilem,
Serenissimam fecit, & Augustam.
Hæc ergò,
cùm Thronum Tuum, coronata jam ambiat;
in augusto capite Tuo, spem publicæ felicitatis coronat:
quæ Te Principem accipit,
Lechico, Piasteo, Iagellonico,
Sanguini, & Sceptro,

Proge-

progenie, indole, virtute eminentiſsimâ parem;
polliceturque ſibi haud dubiè,
PIVM, AVGVSTVM, CLEMENTEM, FELICEM;
qualem omninò ex viſceribus Patriæ naſci;
& à mellitiſsimo examinis apum præſagio, veniſſe oportuit:
quibus natura in illo minimo, duo providit maxima,
Vbera, & memoriam:
ab illis Patria, felicitatis temporũ Tuorũ, dulce nectar ſugens, vt pendeat;
hæc ut KORYBVTHEI ſceptri, memoriam faciat immortalem;
ex vtroque, vt nouum mellei ſæculi conditorem,
ſuum agnoſcat Polonia PIASTVM.
Nomen hoc in Regali faſtigio, planè divinum;
ſecreti illius, aurea clauis eſt;
quod diù latuit, vt orbis judicia exerceret;
inexpectato demùm argumento conuincens, gentis Polonæ geniũ, ad imperiũ naſci.
FELIX SECVLVM,
quod domi ſuæ, peregrinari tandem nolens;
contrectatum ſæpiùs, ſemperque è manibus elapſum,
vt lubricum non ampliùs bonum faceret, forti brachio comprehendit.
Sed ô quàm!
antè thronum, eius Majeſtatis, ſolicitam Te provolui oportet,
ô POLONIA!
quæ omnem in ſe, ſolicitudinem Tuam transferens;
dedit inter anxia vota, bonum tam delicatum;
in quo conſeruãdo, niſi anxia ſis; nihil Tibi tàm excellenter ſapuiſſe profueris.
Solicitudinem Tuam duo maxima augent;
immortali DEO grata vt ſis; & vt gratiam ſerues;
ad vtrumq; obligata, neutrum abſq; eo factura;
qui Te gratiâ ſuâ prævenit.
Bonum hoc, non oſtentatum foris, ſed domi inuentum, ſi ſtupes?
gratiarum actionem pro eo quomodo loqueris?
neſcio loqui Propheticum, ſcitiſsimum hîc ad eloquentiam inuentum.
Loquere ergò A. A. A. Domine;
Amor, Affectus, Anguſtia dicentis eſt.
Ampliùs in gratiarum actione, nec proficies, nec compones:
nemo enim publicam lætitiam diſertè loquitur.
interruptis affectibus, & tanquam in magno populo fluctuantibus,
indicabis eam potiùs, quàm dices.
O divinum ætatis noſtræ enthuſiaſmum!
ô lætitia ſine eloquentia, quàm ſuauis, quàm magnifica es!
in qua gratiam ſentire licet; capere & effari non licet.
defectus hic mortalium, immortalis gratiæ exceſſus eſt:

 exquò

ex quo noua iterum Tibi solicitudo, ô Sarmatia!
vt quam eloqui nescis, gratiam serves.
Extrema quippe diù laborantium infelicitas;
diu illud agere, quo diù frui nequeas.
Plures tamen bonum, vel accepêre felices; vel acquisiuêre soliciti;
quàm seruauêre circumspecti.
Res namq; centoculis digna, custodia felicitatis est:
sed ad eam Argus, inter mortales tam nullus; quàm Endymionũ plena omnia.
Oculatas igitur manus,
quibus delicium Tuum complectaris & serues,
cælitùs Tibi ô Patria poscens, hoc age;
vt quod ex corde Tuo prodijt, non alibi viuat:
quidquid tamen egeris, hoc crede;
Reges amoribus publicis custodiri, non excubijs:
& quem ipse dedit, Principem Tuum Deo cordi futurum.
Sic de eo cogita;
sic in eo Sapientiæ ex alto Oraculum venerare;
vt quidquid illud, in ancipiti Sceptrorum, cõsilia tibi humana respondissent;
eò loci habeas, quò profana habentur.
Tuus verò
electione, præsagio, animorum consensu, orbis applausu,
ipso etiam nomine, res omninò sacra,

SERENISSIMVS

MICHAEL KORYBVT

Rex in æternùm viuat;
in quo, si Martem cogitas;
Vindex, bellator, Victor,
ad eum
1 13 8 10 9 7 6 3 4 2 5 12 11 14
MVCRO LECHI ABIT;
si pacificum amas, & optas;
Niuea
Pietatis, Clementiæ, Pacis,
4 2 3 6 10 11 14 8 9 7 13 1 12 5
HIC ERIT COLVMBA.

Impressum sumptibus Novodworscianis.